

tiationibus spetialibus, secundum formam statutorum civitatis Tergesti, in quibus cavetur quod de talibus acussis et // 119 B denuntiationibus non fiat excusarum proclamatio, quibus statutis spetialibus per hoc generale nolimus in aliquo derogare.

- 5 ¶ Que proclamationes fieri debeant die dominica sequenti postquam dicta acusa vel denuntiatio vel inquisitio facta fuerit, et si talis proclamatus non comparuerit ad suam excusam fatiendam infra quinque dies post proclamationem excusarum, habeatur pro condempnato. Salvo quod, si tempore proclamationis proclamatus non fuerit in civitate Tergesti, tunc postquam ven[er]it in civitatem Tergesti infra tertiam diem suam excusam facere teneatur; at [t]amen si in arengo fuerit condempnatus, nulla excusa ex inde recipiatur. ¶ Et si talis persona proclamata ut supra comparuerit ad suam excusam fatiendam, per dominium recipiatur eius excusa sine sacramento, et nullo modo possit constringi ad fatiendum suam excusam sacramento, et nulla excusa alicuius proclamati in excussis possit ¹⁾ nec debeat recipi per procuratorem vel substitutum ipsius persone proclamate, et si fuerit recepta sit cassa et vana
10 et nullius valoris. ¶ Et ab ipsis proclamatis, conparentibus in termino ut supra dictum est, inquire debeat per dominium veritas, et super ipsis audire et diffinire ac procedere secundum formam statutorum civitatis Tergesti. ¶ Et quod dominium Tergesti procedere non possit, nec debeat facere cridare
25 aliquam personam // que proclamata esset in excussis de ali- 120 A quo malefitio, quod comparere debeat ad eius presentiam, nisi usque ad tria precepta singula de libr. vigintiquinque par. pro quolibet, et si faceret cridari ultra tria precepta, quod sint cassa et vana et nullius valoris, et hoc etiam intelligatur tam
30 de personis proclamatis in excussis quam non.

¹⁾ Aggiunta marginale.